

act. 6977

Q. F. S. F. Q.

DISSERTATIO HISTORICA,
DE NOVA FACIE ORBIS EUROPÆI
CIRCA SÆCULUM REFORMA-
TIONIS EXORTA.

Partis Prioris
Particula I.

QUAM
INDULGENTE
ILLUSTRISSIMO ACAD. CANCELLARIO,
Suffrag. Ampl. FAC. PHILOS. in Reg. Acad. Aboëns.
SINE
PRÆSIDE
ET
RESPONDENTE,
EX CATHEDRA INFERIORI,
SOLUS DEFENDET,
MATTHIAS
CALONIUS,
WIBURGENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI,
Die XX. Junii MDCCLXIV.
H. A. M. S.

A B O È,
Impressus à JOHANNE CHRISTOPHORO FRENCKELL.

S:Æ R:Æ MAJ:TIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,
REGIS REGNIQUE SVIO-GOTHICI
SENATORI,
REGIÆ CANCELLARIÆ
PRÆSIDI,
SUPREMO AULÆ PRÆFECTO,
ACADEMIÆ ABOËNSIS
CANCELLARIO,
ORDINIS SERAPHICI EQUITI
AC COMMENDATORI

Et

RELIQUORUM S:Æ R:Æ MAJ:TIS ORDINUM
CANCELLARIO,
ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO
COMITI AC DOMINO,

DN. CLAUDIO
EKEBLAD,
MÆCENATI SUMMO.

Prodit in lucem TUO, COMES ILLUSTRISSE
ME, mutu præsens opella, exemplo ad Regiam
hanc Academiam prius non viro, sine Præside a me
defendenda.

Ne itaque succenseas, precor, quod illam EXCEL-
LENTISSIMO TUO NOMINI Sacram esse, & nitorem,
quo ipsa destituitur, a fulgentissimo TUO splendore
mutuari jusseric. Hanc etenim devotissimæ pietati & ve-
nerationi humillimæ, qua Tantum MÆCENATEM in com-
muni omnium æmulatione etiam ego jam pridem suspi-
cere audeo, benignissime a TE dari veniam, tanto gra-
viori de caufa sum confisus, quo majus est quod in
me exstare gratosissime voluisti favoris TUI longe ma-
ximi documentum plane singulare.

Eadem TUA Gratia fretus, me meamque fortu-
nam rei familiaris angustia valde adfictam, ut TUO
patrocino commendatam habeas, humillime contendeo.

Quod reliquum est, pro omnigena TUA felicita-
te, vota fundere flagrantissima nunquam defistam.

EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus
MATTHIAS CALONIUS.

BACO De VERULAMIO

In Cogit. & Visis,

Cogitabat etiam & animo volvebat, qualia sint
quæ de virtute ac vi inventorum tam simplici & mera, quam
ea, quæ cum merito & beneficio conjuncta sit, cogitationem
subire possunt. Ac illam quidem non in aliis manifestius oc-
currere, quam in tribus illis inventis, quæ & ipsa antiquis
incognita & quorum primordia etiam nobis obscura & in-
gloria sunt: Artis nim. imprimenti, pulveris tormenta-
rii & Acus nauticæ. Hæc enim tria numero scilicet pau-
ca ac inventu non multum devia, rerum faciem & statum
in orbe terrarum mutasse, primum in Re litteraria, secun-
dum in Re bellica, tertium in Re navali, unde infinitas
rerum mutationes secutas esse, adtentius intuentibus conspi-
cuas, ut non imperium aliquod, non secta, non stella majo-
rem efficaciam & quasi influxum in res humanas habuisse
videatur, quam ista Mechanica habuerunt.



Orbem velut quendam rebus humanis
inesse, & quemadmodum temporum ita &
fatorum vices volvi revolvique deprehen-
dimus, quotquot fatales, quæ ad certa tem-
porum intervalla recurrerunt, illarum conversiones, ad-
curationi examini subjicimus. Adeo scilicet in gyrum
agi videmus cuncta, & ad punctum unde egressa fue-
rant, periodico cursu reverti. Diversa litterarum &
imperiorum ut & Ecclesiæ diversis sæculis fata, inter-
se contendere, & læta lætioribus, tristioribus tristia æ-
quiparare, qui voluerit, præterita quasi in locum præ-
sentium alternis vicibus successisse, & ab uno extre-
mo ad alterum, iterum iterumque itum fuisse, nun-
quam satis mirabitur. In eruditionis tramite, ab exi-
guis profecta initiis, alte enituit, recens ideoque curio-
sa magis & avidior hominum industria. Defatigati
vero cum nec progredi longius, nec pristina coquendo
recoquendoque sibi ipsis facere possent satis, infletere
primum leviter cursum, mox industria in desidiam ver-
fa

a citato gradu ad barbariem pergere cœperunt mortales , cognitione humana in circulum redeunte. (a). Neque tamen perpetua in hac requie mora: Refectis namque tantisper sub alta hac nocte viribus , ad eandem quam priores compleverant orbitam , repetito labore emetiendo se contulerunt. Nec dubium , quin idem progressus & regressus per intervalla , in omne ævum constans & ratus manebit. In orbe politico , magna quæque imperia , haud absimili ratione ac gravia summa vi in altum excussa , cum ad ultimum potentiae & dominationis fastigium , retardato subinde nisi pervenerunt , ad ima statim vergere cœpisse , & accelerato dein impetu , deorsum lata fuisse , innumeros iisque horrendis novimus exemplis. In Ecclesia religionis studium ferbuit , tepuit , friguit per vires , puriorque Numinis cultus , superstitionis & paganismus , alternis , in orbe dominata fuere. Certe quanto plura recentium seu veterum revolvimus , tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis nobis obversantur. (b).

Mira-

(a) Adposito ad hanc rem VELLEJUS PATERC. Hist. Rom. Lib. I. Cap. XVII. *Natura inquit quod summo studio peritum est adscendere in summum; difficilisque in perfecto mora est: natura literaque quod procedere non potest recedit: Et ut primo ad consequendos, quos priores ducinus, accendimur, ita ubi aut prateriri aut squari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, & velut occupatam relinquens materiam querit novam, prateritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid in quo nitamus conquirimus; sequiturque ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.* Praeterea quoque sunt, quæ super hac eadem re differit MORHOFIUS, Cardanum fecutus, Polyhist. Litter. Tom. I. Lib. I. Cap. XXII. S. §. 26. 27. pag. 263. 264. (b) CORNEL. TACIT, Annal. Lib. III. Cap. XVIII

Mirabitur forte fluctuantes adeo & instabiles rerum vices, & contraria sibi diversis temporibus hominum judicia, quisquis hanc ipsam inconstantiam, humanis ingeniis, quam optime convenire non adtendebit. Fastidium præsentium ex diuturniori eorundem usu; tædium ex laboris in longius protracti difficultate; novitatis studium; gloriæ cupido; invidia; æmulatio, & quæ sunt cætera, quibus homines reguntur præjudicia, pari plane ratione omnes in universum adficiunt ac singulos: adeoque & easdem in toto, quas in qualibet ejus parte caussantur mutationes. Hæc transversos agunt homines a virtute ad vitia, in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis ad otium & vicissim. Nec ad corrumpendum vel emendandum generalem rerum humanarum statum, quidquam desideratur amplius, quam ut ad superandam certam quandam quæ mentibus hominum inest *inertia vim*, ex causis externis, vel desidiæ fomenta, vel laudabili ad meliora nisui, incitamenta accedant. Fovetur autem ignavia, publica temporum calamitate, bellis, superstitione, cæteris. Excitantur contra æmulatio & industria, efficacissima illa ad magnas res audendas instrumenta, *novis & illustribus inventis*, casu ut plerumque fit, vel consilio detectis; item quoties Divino quoddam impetu, certi homines, alii ad *nova in scientiis & artibus tentanda*, (a) alii ad *heroicam virtutem* animantur.

A 2

(b).

(a) De his egregie ut folet MORHOF. I. c. Tom. I. Lib. I. Cap. XIII. §. 2. *Sunt, inquit, qui fulminea ingenii vi omnia perrumpunt, quorum animus in specula positus, uno quasi intuitu, omnia simul comprehendit; quasi non sensuum ministerio, non syllogismorum adaptatus, ad intelligendas res indigerent; sed geniorum instar omnis pervaderent & absorberent.* Vidimus ad certas disci-

(b). His namque velut flabellis suffocata & torpida hominum ingenia, igniculorum instar sub favilla delitescentium in flammarum denuo concitantur, & ad ardua quævis accenduntur; cum nemo sit, cui non aliquid ex istis exercendo suo ingenio aptum arripere, tantaque sibi imitanda proponere exempla, jucundum simul ac honorificum esse videatur. Formantur una in melius eo ipso temporum mores, & quæ rugosa fuit, multoque squalore obsita humanæ societatis facies, suo restituitur decori; Morum etenim quemadmodum & cæterarum rerum certas esse periodos, quis est qui negare ausit?

Hæc fere, quæ jam diximus, generalia ad efficiendas magnas illas rerum conversiones sunt instrumenta; concurrunt vero simul quam plurima alia ad juvandam vel sufflaminandam horum efficaciam comparata, inque iis multa, levissima quidem ipsa, in maximis tamen rebus magnum quandoque trahentia momentum. (c). Et sicut diversæ hæ cauſſæ, diversis a se invi-

plinas, quosdam quasi divinitus incitatos, ea in his confeſſe ſpatia, ut in prodigium illa res traheretur. Fuere ad varias artes liberales, Mechanicas, Statuariam, Graphicam, Poëſin, Maſteſin, Chirurgiam, quasi a na uia facti &c. Hi ſunt, quos primates litterarios primi ordinis adpellat HEUMANNUS Conf. Reipub. Litt. Cap. VII. S. 9. 10. (b) Loquatur iterum MORHOF. l. c. S. 30. Virtus, que Heroica dicuntur, divino impulſu excitatur ac fate ſape fieri jolet ut ad magnas res gerendas, ad regna firmando, hōſtes subigen-dos, divinitus animentur homines, incredibilia viribusque humanis majora tentantes. Conſerri porro ad h. l. merentur quæ eodem capite de eo quod in Scientiis ſt̄oꝝ eſt copioſe & folide diſputat. (c) Exempla maximarum rerum ex leviffimis cauſſis proſecta:um, singulari opera colligit Richer in Eſſai ſur les grands evenemens par les petites cauſes, Part. I. & II. prodierunt Amſtelæd. 1760.

invicem, ordinante ea ratione fatorum leges providentia, temporum intervallis disterminantur: ita & fieri videmus, ut cum alterum ævum tam sterile omnium virtutum sit, ut vix ullum bonum prodere possit exemplum, altero uberrimus exstet elegantiorum ingeniorum proventus, (a). Unde simul intelligitur, cur per spatia, inter utrumque extreum intermedia, æquabilius fluant res humanæ, nec subitis commotionibus vehementius unquam concutiantur.

His quæ breviter præfati sumus, ex ipsa tractatione, qua novam orbis Europæi faciem, circa Sæculum a N. C. XVI. quod Reformationis dici suevit, exortam, leviter delineare constituimus, lucis aliquid accessurum confidimus. Dicendum enim nobis est tempus opimum variis casibus, illustre ad invidiam usque plurium sacerdotiorum novis inventis; restituta amœnori litterarum facie jucundum; discors religionis & sacrorum usu; præliis atrox & funestum: verbo, fatalem, quæ in hoc ævum incidit, rerum Europæarum conversionem exponemus. Verum ut nihil est in natura rerum omni-

A 3

um

(a) Quis, inquit VELLEJUS PATERC. Hist. Rom. C. XVI. abunde mirari potest, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia, in eam formam & in idem temporis congruens spatiū, & quemadmodum clausa capso aliquo septo diversi generis animalia, nibilo minus separata atiens in unum quoque corpus congregantur: ita cuiusque clari operis, ingenia, in similitudinem & temporum & profectuum, semet ipsa ab aliis separaverunt: probat porto hoc ipsum Græcorum & cap. sequenti Romanorum exemplis; ubi etiam addit: hoc idem evenisse Grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus quisquis temporum insisterit notis reperies: eminentia cuiusq; operis arctissimis temporum clausis circumdata.

um quod se universum profundat, & quod totum repente evolet, cum omnia quæ sunt quæque aguntur acerrime lenioribus principiis natura ipsa prætexuerit (a); ita nec cuncta, quæ ad restituendas, collapsas in hac orbis parte res, aliquid contulerunt, intra angustum quoddam temporis momentum, tanquam in centrum collecta, quisquam sibi persuadeat. Hinc impositam nobis saepius vidimus necessitatem, paullo altius regrediendi, ut caussas eventuum repeteremus. Monendum hoc duximus, ut nos in ea quæ ante hoc sæculum acciderunt subinde inquirentes, extra oleas vagari nemo temere credat. Sufficit nim. nobis paratas ante caussas, adquisita plena ad agendum vi, graviori quam alias impetu ad omnia mutanda hoc ævo concurrisse, eaque effecisse, quibus efficiendis erant destinata. Quæ enarrare dum adgredimur, faciles quidem animadvertisimus, dicendorum multitudine nos obrutum iri, & ut ingressum difficile ita exitum nulla fere ratione inventuros. Quo tamen, quæ in tanta rerum varietate, per summa velut capita eundo, potissimum differenda esse judicamus, ordine proponamus, restorationem rei litterariorum bellicæ & navalium primo loco contemplabimur; Imperiorum deinde mutationes exponere hasque e genuinis suis caussis, in quantum id fieri potest, derivare conabimur. Quocirca cum Ecclesia civitati intime sit connecta, ejus etiam fata, suo quæque loco commemorabimus, caussas, quibus ipsum reformationis negotium adjutum, quibus impeditum fuerit simul indicaturi. Quo autem successu in saxo hoc volvendo versati fuerimus, æqui Lectoris judicio committimus. Satis nobis est in re tam ardua primas duxisse lineas; nec enim quæ ingen-

ingenti volumini materiem sufficientem intra angustæ dissertationis cancellos coarctari commode possunt: nec præterea politum & perfectum ex omni parte opus, unquam promisimus. Dissentendi a nobis æquam cuique facimus potestatem; hanc scilicet veniam petimusque damusque vicissim.

PARS I.

SECTIO I.

De restorationis Litterarum subsidiis.

§. I.

Antequam destinata componamus, repetendum videtur, qualis fuerit status rei litterariæ medio, quod vocant ævo, h.e. temporibus quæ nostrum sæculum proxime præcesserant: in quo nobis eo licebit esse brevioribus, quo fusiis idem, apud Historicos Literarios tantum non omnes, solet exponi. Adeo miseranda hac tempestate, quodvis litterarum genus adficerat elades, ut de omni eruditione, saltim vera illa & genuina actum & conclamatum esse videretur. Barbara Scholasticorum turba, stulta Aristotelis veneracione capta, ne latum quidem, quod ajunt, ungvem ab ejus placitis recedere concessum sibi arbitrabatur. Quæ ab hoc Apolline rectius forte disputata erant, commentatorum multitudine tenebris involvi & corrumpi; quæ vero obscurius paullo & indeterminatius dicta videbantur, inextricabilibus distinctionum nodis implicari; & quæ denique oppido falsa erant & absurdâ, arcessi-

cessita in præsidium malæ caussæ, terminorum nihil significantium, sonique tantum horrore posteritatis memoriam promeritorum farragine, explicari, sophismatumque senticetis muniri cœperant. Sic sub abstrusissimo metaphysicæ velo crassissima docte tegebatur ignorantia; & Dialecticas artes didicisse, satis habuit, quisquis Eruditis sui temporis accenserit studuit. Cæteræ quoad maximam partem disciplinæ incultæ prorsus jacebant: si quæ illarum tradere moris erat, aut hærere in primis rudimentis, aut fœdo adeo habitu vestitas illas proponere solebant Doctores, ut solo adspectu nauseam sapientioribus movere potuissent. *Chronica* & *Diaria* scribere atque *Vitas Sanctorum* multis infertas miraculis consignare, id erat *Historiam* condere, & temporis memoriam ad posteros propagare. Nec in Philosophia morali meliora præsttit hæc ætas; illa namque ex jure Civili & Canonico, Scripturæ S. locis & *Patrum* sententiis atque naturalis legis præceptis ad Stagiæ mentem explicatis, mihiere confarcinata confusum magis Chaos quam justam scientiæ formam referebat. Et cum prudentiæ regulas tradere Cleri commodis officeret magis quam professet, nec mirandum est politiciæ studium penitus neglectum, & principum virtutes, ex illorum in templo & monasteria atque Sacrorum custodes munificentia, æstimatas fuisse. Mathematicæ quidem Disciplinæ, quod & ad rerum usum pertinebant, & sub sensus cadebant, instigante usu & necessitate, (a) quadantenus tractabantur; verum præterquam quod a fôrdida hac ætate, multum illis adhæserat squaloris, vulgatissimis etiam veritatibus solummodo continebantur;

(a) MORHOF, Polyhist. Litter. Tom. I. Lib. I. C. XXII. §. 75. p. 263.

tur; paucissimi sunt, quos ultra prima Arithmeticæ, Geometriæ & Astronomiæ rudimenta, ad altiora penetrasse videmus. In Physica Dialetticis quæstionibus & ridiculis quibusvis disputationibus, quam experientiæ, potiores tribuebantur partes; quod idem in arte etiam salutari usu venit, quam præterea mendacia & superstitiones totam conspurcaverant. Juris civilis parva admodum fuit notitia (*a*); Canonicum solum colebatur, ampla huic studio mercede statuta. Ipsa quoque cœlestis doctrina fatali hac contagione infecta, subtilissimis iisque frigidissimis distinctionibus, & intricatissimis quibusvis quæstionibus miserrimum in modum fuit deturpata; cumque sic nativa ejus vis atque efficacia in nugas & ineptias, ad pascenda monstrosa ingenia, quam voluntatem emendandam magis comparatas, esset conversa, quid mirum si totalis inde secuta fuerit morum corruptio. Litterarum quæ a humanitate non acceperunt cognitio plane intercidérat. Latini sermonis vel minimam possidere facultatem, magnum habebatur consummatæ eruditionis documentum. Græca nec legi nec intelligi poterant, multis ne nomine quidem tenuis nota fuere. Elegantiores artes, pictura, scalptura, statuaria, ignotæ partim erant, partim ad rudem saceruli huius gustum conformatæ. Accessit tanquam cumulus, omnibus his malis, odium in meliora sapientes, plus quam Vatinianum. Hinc si qua, in tam alta nocte, lucidior emicuit stellula, illam calumniis obfuscare primum, mox fictis criminibus extinguere penitus, adlaboravit gens saniori Philosophiæ supra quam

B

dici

(*a*) Confr. quæ ex FREINSHEMIO adfert GUNDLINGIUS in *Historie der Gelahrheit* Parte II. §. 92. p. 1699. in notis: item §. 118. p. 1828. citata verba CONRINGII.

dici potest inimica. (a). Verbo, barbaries superstitioni juncta, expulsa ratione & experientia rationis oculo, solium occupaverat, & in ingenia conscientiasque ipsas imperio plusquam tyrannico desæviebat. (b).

§. II.

Tam spissæ erant tenebræ, tam densa caligo hoc sæculo discutienda. Ut autem tantæ difficultatis opus effici posset, ab ovo, quod ajunt, ordiendum erat, & tollendæ quæ barbariem aluerant caussæ. Has inter primo loco collocandam censemus, *defectum librorum summamque eo tempore illorum caritatem*. Hæc quippe insuperabilia fere objicit impedimenta, quo minus vel maxima ingenia tenebras illas eluctari possent. Ars etenim scribendi cum intra monasteriorum claustra & Principum Cancellarias delitesceret, & extra illorum po-

(a) Testimonia hujus rei innumera adduci possent si id ageatur. VIRGILIUS Salisburgensium Episcopus ob adsertos antipodas gravissimum Pontificis Bonifacii odium incurrit. *Bruck. Histor. Philosoph. Crit. T. III. p. 896.* Johannes Regiomontanus, Vir Mathematum & Mechanices Scientia clarus post plurimas vexationes, Romæ tandem ab invidis veneno extinctus fertur. *Heilbronn. Hist. Mathes. Lib. I. Cap. XXVII. pag. 500. soi. Bruck. Libr. cit. Tom. IV. Part. I. pag. 69.* Ut de Roberto Capitone & Rogerio Bacone &c. magiæ incusatis, Laurentio Valla virgis turpiter cæso, Petro Ramo, tragica morte interempto, cæteris, nihil jam dicam. Cfr. Morbof. Polyhist. Litt. Tom. I. Lib. I. Cap. VIII. §. 25. (b) Philosophiaæ hoc tempore faciem graphicæ delineat Bruckerus. Libr. citat. Tom. III. p. 869. seqq. Litterarum humaniorum barbariem quis est Scriptorum huic proximorum, qui non deploravit?

pomœria paucissimi essent illius periti, fieri non potuit quin Libri Manuscripti rari admodum evaderent, & qui prostabant, caro nimium venderentur pretio. (a). Monachi namque soli monopolium quodam hujus generis mercium habebant, & quod tum evenire solet, pretium iis ex arbitrio statuebant. (b). Libri Græco vel Orientalium aliquo sermone conscripti, cum ab imperitis harum linguarum monachis, describi non possent, ne auro quidem redimi poterant. Satis igitur, ut tum tempora erant, ditem oportuit esse illum, qui vel aliquam librariam supellec̄t̄ilem comparare sibi valeret. Exoterica illorum qui forte iis temporibus eruditionis fama celebres erant, informatione institui, eamque cum non semper in patria illa fruendi esset occasio, in regionibus procul dissitis quærere, immensos fere postulavit sumptus, cuique sine discrimine non subeundos. Cum autem sine his adminiculis, ad doctrinæ scientiæque laudem nulla pateret via, non potuit non exiguis esse illorum numerus, qui ad illam adspirare auderent. (c). Quod jam diximus & ineluctabile videbatur restaurandæ rei litterariæ im-

B 2

pe-

(a) Avant l'invention de l'imprimerie, on donne à Paris, pour un Bible écrite sur le parchemin 4 à 500 ecus, & n^e etoit qu'un seul, Volume en langue ordinaire, & JEAN FAUST donna les siennes pour 60 ecus &c. Verba sunt Dn. De Pours in Traité de l' Excellence des Pseaumes, citata in Nouv. Biblioth. Germ. T. IX. Part. I. L^e art. V. pag. 90 ubi & plura habentur quæ hoc spectant. (b) Insigne quod ex librorum mercatura capiebant lucrum, in caussa fuit, quod iis describendis graviter incumberent; ut ex Petarcha docet Heumann. in Conspl. Reip. Litt. C. IV. §. XXII. Conf. Morhof. Polyhist. Litt. Tom. I. Libr. I. Cap. IV. §. 25. p. 32. (c) Confr. Heumann. Conspl. Reip. Litt. Cap. IV. §. 22.

pedimentum, inventa Arte Typographica, totum quantum sublatum est; illius enim ope, ipsa quasi doctrina pro modico ære redditæ est venalis. Cumque magna infœuti litterarum floris pars huic invento debeatur, pauca de ortu ejus & propagatione commemorabimus; succinctam enim, ne dum plenam ejus historiam tradere instituti ratio non permittit.

§. III.

Obscuras esse luculentissimæ hujus artis origines, haud absque ratione conquesti sunt, quotquot data opera in iis perscrutandis, laborarunt. (a). Scriptores namque coævi æque ac posteriores, prout quisque aut suæ impensis favit patriæ, aut alio quodam præjudicio fuit abreptus, inventionis gloriam vel domesticæ genti vindicare, vel in eam formam historiam artis effingere studuerunt, qua præconceptis istis opinionibus, quam optime conveniret. Quo factum est, ut totam rem, quantum in ipsis, confusione involverint. Prima exemplaria in quibus periculum novæ artis fecere inventores si supereffessent, facilius forte dirimi posset anceps hæc quæstio; saltem multa illam luce perfunderent. Verum quod magnopere dolendum illa ad nos non pervenerunt. (b). Magna ergo hic sententia-

(a) Scriptores de Arte Typographica recenset *Struvius* in Introd. in Not. rei Litter. Cap. XI. §. I. & *Heuman*. I. c. Cap. III. §. 24. vid. quoque *Morbof.* Polyhist. Tom. I. Lib. IV. Cap. II. §. 6. p. p. 720. 731. (b) *Caussam ejus rei concinne expressit Salier* in Memoires de l' Acad. des Inscriptions & des belles Lettres Tom. XIV. his verbis: *La même curiosité qui les (anti-quissima loquitur exemplaria) faisoit rechercher aans leur origine,*

tiarum diversitas. *Sinensis* inventionem hujus artis
deberi contendit, qui Matth. Ricci scripta postuma
edidit Nicolaus Trigautius (a). Petr. Jo. Maffeus (b).
& Hieronymus Osius (c), cum pluribus aliis. *Mexi-*
*cana*s (Themistaneos adpellat) illam tribuit Genebrardus
(d). Antiquos Scythas primos hujus artis inventores
fuisse, illamque ab oriente in Europam transmisisse, post
Paulum Jovium ab ipso in partes vocatum fabulatus est
Steph. Zamoscius (e), adductus & refutatus a Struvio (f). Nec

B 3

de-

a fait negliger les moins parfaites, pour s' attacher a celles, qui l'é-
toient plus & qui ont paru ensuite. Aujourd'hui c'est tout le con-
traire, plus ces premiers essais sont informes & plus ils sont recherches.
Vid, Nouv. Bibl. Germ. Tom. IX. pag. 89.

(a) In Histor. Expedit. Christ. apud Sinas, Lib. I. C. IV.
pag. 19. 20. (b) Histor. Indic. Lib. VI. p. 112. (c) De rebus
gestis Eman. Lusit. Regis. Lib. XI. p. 314. Cæteros qnibus ea-
dem hæsit sententia magno numero adducunt Theophil. Spitzelius
de re Litter. Sinarum & Bernardus a Mallinckrot de Ortu & Progr.
Artis Typogr, citati a Seruvio in Introd. in not. rei litt. C. XI.
Explosa vero dudum est hæc sententia, cum inter omnes jam
constet diversissimam esse a nostra illam, qua Sinæ utuntur impi-
mendi rationem, natura & indeole ipsius linguae id postulante.
Vide sis du Halde Description de l' Empire de la Chine & de la
Tartarie Chinoise &c. Tom. II. p. 299. 300. & Morhof. Poly-
hist. Tom. I. Lib. IV. Cap. II. §. 6. p. 772. Inquit idem Tri-
gautius l. c. Non tamen probamus sententiam *Alexandri Valigna-*
gni, quam addu it Formey in Nouv. Biblioth. Germ. Tom. I. P.
II. p. 376. Sinas scilicet hanc suam artem a Lusitanis didicisse;
cum antiquissimum ejus apud illos fuisse usum, ex constanti Hi-
storicorum testimonio satis colligere liceat. (d) In Chronograph.
Libr. IV. Fol. 391. verba adfert Serrarius Rerum Mogunt. Lib. I.
C. XXXVII. p. 153. quibus contraria alio loco eundem adseruis-
se Genebrardum, observat idem Serrarius l. c. p. 158. (e) In A-
nalectis Antiq. Daciæ pag. 11. (f) Introd. in notit. rei litter.

defuere, qui gentilium more Deorum aliquem vel Deorum inventorem celebrarunt. (a). Ut alios æque absurdæ urgentes prætereamus. (b). Europæis gloriam inventæ artis tribuunt recentiores omnes ad unum; nec præter Batavos & Germanos alii sunt, qui ad certamen in hac arena admittuntur. (c). Batavorum caussam, præter Hadr. Junium (d), & qui hujus fere verba exscripsit Petrum Bertium (e), atque Theod. Schre-

ve-

C. XI. p. 519. Confr. Gundling. Hist. der Gelahrheit P. I. p. p. 425. 427.

(a) Hujusmodi quid contendisse videtur Pomponius *Latus*, immodicus Antiquitarum Romanarum estimator, vid. Gundlings Historie aer Gelahrheit P. II. C. IV. §. 180. p. 2132. Hic namque Saturnum homines hanc artem docuisse adfirmavit, teste Conrad. Peutingero quem adduxit Serrarius l. c. p. 158. Paria his sensisse, an verius dixisse solum Gilbertum Cognatum observat Andr. Holstenius, in Dissert. de Typogr. sub Praesidio LAUR. NORMANNI edita Upsaliæ a 1689 §. 8. (b) Videatur de his Prosp. Marchand in L' Histoire de l' Imprimerie, pag. 4. seqq. qui liber recensetur in Act. Erud. pro a 1739. p. 577. seqq. (c) Gallos ac Italos huic pugna immiscuisse Antonium Campanum, qui Uldaricum Gallum primum artis nostræ inventorem nominat, communis est sententia. Etenim illum & *divisorum* & nominis *duobus* deceptum, hoc statuisse autumant; cum tamen ex Wimpelingio scire debuisset, *Uldaricum Habs*, latino nomine *Gallum*, dictum natione Germanum fuisse, & primum solummodo apud Romanos Typographiam exercuisse, Vid. Serrari. l. c. p. p. 153. 154. Verum si conjicere fas est, neutrum horum de Campano vere dici posse videtur; Potius, cum certum sit, illum Correctoris librarii partes in Officina *Uldarici* Romæ aliquamdiu egisse, & præterea virum fuisse perversi & parasitici ingenii, Vid. Gundlings Historie der Gelahrheit P. II. Cap. IV. §. 165. & quæ ex Ferno qui vitam ejus descripsit ad calcem ibi adnotantur, verosimillimum evadit eum adsentandi libidine, in gloriam patroni sui hoc protulisse. (d) In Hist. Batav. p. 255. (e) Geogr. Lib. II. C. IX.

velium (a), singulari Dissertatione Lugd. Batav. a 1640 edita, egit Marcus Zuerius Boxhornius, Laurentium Costerum Harlemensem, primum hanc artem invenisse, demonstrare annis. Refutarunt quidem, qua maiorem partem ejus, argumenta Naudæus & Bernardus a Malinckrot (b), omnibus vero adhuc dum plene satisfactum non esse, oculatioribus visum est. Quidquid sit maxima probabilitate, se commendat illorum sententia, qui LAURENTIUM COSTERUM Harlemensem litterarum notas, ad modum Sinensium (c), tabellis ligneis inciendo, illasque dein chartis imprimendo, viam ad hanc artem vero ejus inventori prævisse arbitrantur. (d). Quæ molimina, licet ad inventionis gloriam ipsi decernendam haud sufficient, novæ tamen arti prælusisse rete censentur. Pro Germanis & quidem Moguntinis, Argentinenses enim caufsa sua jam dudum excidisse videntur (e) maxima militat Eruditorum pars, & quantum adsequimur, unanimi fere suffragio, palma illis est delata, solis tantum Batavis pro Harlemo adhuc pugnan-

(a) In Harlemo p. 270. (b) Morhof. Polyhist. I. c. p. 730 Confr. in hanc rem Gundl. libr. citat P. I. p. p. 427. seq. (c) Notam tamen illi fuisse Sinatum Typographiam equidem vix crediderim. (d) Confr. Stollis Anleitung zur Historie der Gelahrheit pag. 16. Heumann. Conspl. Rei Litter. Cap. III. §. 24. p. 65. Struv. I. c. pp. 529. 530. Maximum huic sententiæ pondus addit, facta diserta hujus rei mentio in antiquo Chronicō Coloniensi: ita autem ibi ad a. 1750. - - - Wie weil die Kunst is vonden tzo Mertz, als vurſſ up de wiſſe als dann nu gemeynlich gebrucht wirt; So is doob NB. die Eyrſte Vurbyldung von den in Holland wijsden Donaten, die dar ſeiffſt vor der iſtijt gedruckt ſijn &c. quibus eo adſtipulamur lubentius, quo certius ſit hoc Chronicō magnæ auctoritatis monumentum eſſe in Historia Germanica hujus avi: prodiit autem Coloniae a. 1493. (e) Quibus fundamentis

gnantibus. (a). Magno scilicet argumentorum adparatu, demonstratum est a Viris Doctissimis, JOHANNEM GUTTENBERGIUM, qui & *Gaensefleisch* dictus est (b), nobili & antiqua SORGENLOCHIORUM stirpe, in hac urbe natum (c), post repetita COSTERI Harlemensis in

innixi *Argentinenses*, inventionis hujus laudem JOHANNI MENTELIO suo cuidam civi, vindicare voluerint, docet *Struvius* loc. cit. pp. 547. seqq. Verum cum destruxerit illa *Tentzelius* in Bericht von Erdfindung der löblichen Buchdruckerey p. 62. seqq. cuius argumenta in compendium misit laudatus Auctor l. c. facile intelligitur corruisse caussam *Argentinensium* & refutatos simul esse qui illam propugnarunt *Jo. Henr. Boeclerum*, *Sebastianum Schmiaium* & *Jac. Mentelium*, (cuius tamen Parænesin de Typogr. Orig. suppositionis suspicione laborare ex *Placcii Catal. Pseud.* docet *Paschius* in Invent. Nov. Antiq. C. VII. p. 792.) de quorum in hanc rem Scriptis vid. *Morbos. Polyhist.* loco proxime citato p. 731. ad calcem, vid. etiam *Gundl.* l. c. p. 430. seq. Post hos duum viros netcio an ullus fuerit, qui vindicias prætensi hujus inventoris in se suscepereit.

(a) Nuperrime Harlemensium caussam defendit *Jo. Christ. Seizius* edito a 1740. singulari in hanc rem tractatu, qui recensetur & censura perstringitur in Act. Erud. pro a. 1743. p. 93. seqq. (b) Hæc *duarupia*. cuius rationem solide reddidit *Jo. David Koeler* in Hochverdiente und aus bevährten Urkunden vohlgeglaubte Ehrenrettung JOH. GUTTENBERGS Lips. 1741. p. 7. seq. multam in Historia nostræ artis caussata est confusionem. Ad illam enim cum non adtenderint Scriptores coævi, si unum exceptis *Wimpelingium*, qui cum in Epit. Imperat. & Rer. German. Cap. LXV. GUTTENBERGIUM inventorem nominavit, postea in Epigrammate Memoriæ *Marfilis* ab Inghen adjecto, eundem *Anscarium* vocat, nomine *Gaensefleisch* pro more hujus saceruli in Latinum Verso; Koeler l. c. Factum exinde est, ut fecuti illos recentiores, modo FAUSTUM, quod fecerunt *Struvius* & *Leffrus*, modo alium quendam hoc nomine indigitatum voluerint. cfr. *Gundl.* l. c. p. 432. seq. (c) Fusa de familia & parentibus inventoris nostri egit laudatus Koeler lib. cit. pag. 7. seqq. ad 19.

in hac arte tentamina (a), ignotos antea mobiles litterarum typos, ex ligno, forte cultello, effigiatos, tandem circa a 1440. Moguntiae invenisse. (b). Deteſto hoc artificio, cum curta ipli effet res familiaris, adſcrivit in operis societatem cives ejusdem urbis JOHANNEM MEYDENBACH & JOHANNEM FAUSTUM Au-

C

rifi-

omnino ad h. l. conferendus. Notandi interea *Freberus* in *Theatrum Clar. Virorum*, P. IV. p. 1425. & *Savary* in *Diction. Univ. de Commerce &c.* Tom. II. pag. 855. *Marchand* in *l' Hist. de l' Imprimerie* p. 5. &c. qui eum stirpe *Zumjungen* ortum putarunt, ex qua maternum tantum genus ducebat.

(a) Conſr. que modo diximus pag. 15. Existimat quidem *Marchand* *l' Hist. de l' Imprim.* p. 35. & *Gundl.* l. c. p. 436. in notis & pag. 443. in tabulis ligneis a *GUTTENBRGIO* impressos fuſſe *Librum Alphabeti, Donatum & Catholicon Joannis Ja-nuensis*; verum quantum ad librum postremo loco nominatum, vix cuiquam fidem facit, illum ceu magna molis, hac ratio-ne unquam fuſſe impressum; vid. *Nouv. Biblioth. Germ.* Tom. IX. p. 89. seq. *Ibid.* pag. 378. seqq. (b) Diserte hoc adſfirmatur in *supra cit. Chron. Colon.* - - - *Mer der Eyrſte Vynder der Drukerey*, *Iſt gevest ein Burger zu Mentez* - - - *Ind biesch*, *JONCKER JOHAN GUDENBURCH*: Vid. verba apud *Struv.* l. c. p. 530. seq. cui consentiunt *Joh. Tritheimius* (vel re-tius *Tritemius*), ut ex codice propria ejus manu exarato scriben-dum obſervat *Georg. Wallin* in *Dissert. de arte Tritemiania scriben-di per ignem*. *Uppsal.* 1738. Cap. I. p. 1.) In *Annal. Hirsaug.* ad a. 1450. allegatus a *Struvio* l. c. p. 533. seqq. & in *Epift. Famili.* pag. 305. vid. *Heumann*, lib. cit. p. 61. ad calcem. *Conradus Celsius Lib. II. Amor. Eleg. I. Jacobus Wimpelingius* in *Epift. ter. Germ.* de cuius testimonio confulendus præter alios *Struv.* l. c. p. 549. *Pernerus Rolefinck* in fascic. tempor. Argent. 1488. adduc-tus in *Nouv. Bibl. Germ.* Tom. II. P. I. p. 37. in nota mar-gini adjecta. Conſr. etiam *Schedelii Chronic.* impressum Norib.

rificem (a); qui utpote opibus valentiores, sumtus ad exercendam artem necessarios suppeditarent. His postea adjunctus est PETRUS SCHEFFER, FAUSTI primus famulus, deinde gener, cui iste debetur honos, quod modum fundendi litterarum typos ex aere, stanno vel plumbo, ut & prelorum fabricam invenerit, eoque artem ad perfectionem evexerit. (b). Fuere autem GUT-

1492. Fol. 252. verso. Quibus addendum omnino testimonium ipsius Petri Schefferi in nota ad finem Historiae Livianae Germaniae editæ Mogunt. a. 1505. adlegatum a Struv. l. c. p. 544.

(a) De JOHANNE MEYDENBACH quid factum fuerit non satis constat: pactum eum fuisse de contribuendis solum impensis, lucroque & damno pro rata ferendis, admodum est probabile. Confr. tamen Marchand p. 49. 50. FAUSTI vero nomen compluribus qui supersunt libris adjectum videre licet; occurunt præterea de illo varia in Gundl. Hist. der Gel. pag. 433 seq. in notis. Perperam his adjungit Johannem Regiomontanum PAULUS PATER citat, a Heumanno in Consp. Reip. Litter. Cap. III. §. 23. p. 62. Alias domi suæ officinam habuisse Regiomontanum certum est. Vid. Gundling. Hist. der Gelahrbeit pag. 2176. (b) Schefferus apud coævos, secundum pronunciationem illius temporis Schoffer scribitur, & latino nomine Opilio promiscue vocatur. Natus erat in oppido Gernsheim: CHRISTINAM, FAUSTI filiam in præmium emendatae Artis Typographicae, in matrimonium accepit. Ab hoc eodem SCHEFFERO originem ducere Illustrissimam apud nos Familiam SCHEFFERIANAM observat ARCKENHOLTZ in *Memoires pour servir à l'histoire de CHRISTINE Reine de Suede*, Tom. I. p. 294. 295. in notis. Cfr. Marchand. lib. cit. p. 8. Antiquissimi, qui e prima officina ab his triumviris instituta ad nos pervenerunt libri, hi fere esse putantur: *Guil. Durandi Rationale Divinorum Officiorum*, sine mentione loci aut anni quo editum est: Servatur in Biblioth. Uffenbachiana. Vid. Gundlings Historie der Gelahrbeit Part. II. §. 105. p. 1795.

GUTTENBERGII post exantlatos tot tantosque pro excogitanda hac arte labores, haud meliora iis, quæ primi maximarum quarumvis rerum inventores alii, plerumque sunt experti. Rupta namque a. 1455. inter illum FAUSTUMQUE societate (a) officinam quam Moguntiæ instruxerat, relinquere, & in magna paupertate Argentoratum primum, mox Harleum demigrare fuit coactus; (b). FAUSTO interea & sociis maximum sibi ab ejus invento lucrum facientibus. Postea ad natalem urbem reversus a. 1465. ibidem d. XXIV. Febr. a. 1468. diem obiit supremum. (c). Nec inviolatas reliquit beatissimos manes invidia: potius eo-

C 2

usque

Biblia latina de a. 1450. itidem in Biblioth. Uffenb. vid. Marchand l. c. p. 22. 23. Joannis Januensis Catholicon de a. 1455. & duæ Editiones ejusdem lib. de a. 1460. Vid. Nouv. Bibl. Germ. T. IX. p. 89. seqq. ibid. p. 378. seqq. item p. 393. seqq. item Tom. X. pagin. 450. seqq. Psalterium in folio minori Charaktere Gotlico a:o 1457. Recusum 1459. Durandi Rationale Edit. altera de a. 1459. Clementis V. P. M. Constitutiones de a. 1460. Biblia Latina Edit. Secunda, a:o 1462, nitidissimis typis excusa, Biblia Germanica Moguntina de anno eodem. Marchand. p. 36. seqq. Meminit etiam Hottingerus Biblioth. quadripart. p. 150. Biblitorum Germanorum de anno 1448, verum cum nec ipse pro certo adfirmare potuerit annum impressionis recte a se fuisse observatum, vehementer dubito, an unquam exstiterit hæc Editio.

(a) De controversia inter hos oborta, quæ rumpendæ societati occasionem dedit, consulendi sunt Marchand. l. c. p. 28 seq. & Kæler lihr. cit. qui & Instrumentum, a Jobanne Ulrico Helmspergero Notario urbis Moguntiæ d. 6. Novembr. a. 1455. consignatum, ex archetypo descriptum suppeditat, quo lata super hanc item judicis sententia continetur. Vid. quoque Gundl. l. c. pag. 439. in notis. (b) Confr. Marchand. l. c.

(c) Vid. ibid. p. 31. Freberus in Theatr. Vir Clar. P. IV. p.

usque iniquitatis progressi sunt JO. AVENTINUS (*a*), & post illum JO. SCHEFFERUS (*b*) ut gloriam huic viro debitam intervertere & FAUSTO vindicare haud obscure tentaverint, sequaces inter posteros nacti non paucos, qui clariori voce eandem inflarunt tibiam (*c*). Cordatiores tamen alii, non solum has calumnias sibi diluendas; verum etiam instituta ad quartum cujusque saeculi decennium sollempni ac grata divini hujus inventi recordatione, memoriam ejus renovandam esse censuerunt (*d*).

§. IV.

Quamprimum perfectionem adtigisse visa est hæc ars, incredibile est quanto animi ardore in illam incumbere cœperant mortales. *Sacra namque auri famæ, præsentis, quod hinc sperari poterat, lucro, excitata, æque ac de re litteraria & publica bene merendi studium,*
plu-

1426. De anno emortuali FAUSTI & SCHEFFERI vid. *Marchand*. I. c. p. 46. 47. (*a*) Sub finem Libr. VII. Annal. Boije. ad a. 1450. p. 512. adlegatus a *Strazio* lib. c. p. 539. 540. (*b*) In fine ad *Tritem*. *Compend. de Orig. Regum & Gentis Franc.* a 1515. editi.

(*c*) Nominasse sufficiat HENRICUM SALMUTHUM qui in AppEND. ad notas in *Pancirollum*, magno conatu id egit ut FAUSTUM primum fuisse inventorem, demonstraret: præterea cæteros, qui caso magis quam consilio hujus inventi mentionem fecerunt, eandem tamen soverunt sententiam. Nuperrime a 1733. FAUSTO inventionis gloriam tribuit *Palmerus Anglus* in *Hist. Typogr. generali*, que recensetur in Suppl. ad *Aet. Erud.* Tom. IV. Sect. IX. p. 385. (*d*) Celebrat *Germania* ad 40. cujusque saeculi annum *Jubileum* in *Mentoriam* inventæ hujus ar-

plurimos inque iis viros eruditionis haud vulgaris laude conspicuos, amore exercendæ elegantissimæ artis, inflammaverant (a). Accessit privatorum studiis, insolitus Principum & Mæcenatum favor; qui quemadmodum ad promovendam omni nisu, inceptam hoc ævo litterarum restorationem quasi ex pacto consensisse videntur; ita & Typographiam optimam ejus rei administram indulgentissima foverant cura. (b). Et his quidem caussis debetur

C 3

tis; qua occasione in historia ejus illustranda ingenium exercent Viri doctissimi vid. *Heum. Confsp. rei litt. Cap. III. S. 24.*

(a) Doctos Typogr. recensent *Servius* in Introd. ad not. rei litt. Cap. XI. *Pascius* l. c. pag. 791. 792. & *Gundl.* lib. cit. p. 476. seqq. ad 508; & cui ignota esse possunt, magna nomina, ALDI & PAULI MANUTIORUM, DANIELIS BOMBERGII, ROBERTI HENRICI & PAULI, STEPHANORUM, HADRIANI TURNEBI, WECHELIORUM, FROBENIORUM, OPORINI, COMMELINI, PLANTINI, RAPHELENGII &c.

(b) Hinc non modo singularem Typographis habebant honorem, verum & officinas elegantissimo quo fieri potuit adparatu instruendas, atque manuscriptos codices, e Bibliothecis atque oriente magnis sumtibus conquireundos imprimendosque curarunt. FRIDERICUS III. Imperator aurum vestimentis inferere Typographis permisit, & Typothetis aquilam cum galea aperta, Typographis autem Gryphonem globulos Typographicos pedibus tenentem in Insigne concessit. Vid. Nova Acta Erud. pro a 1739. pag. 16. 17. FRANCISCUS I. Officinas Typorum fusorias instituit, Græcæque litterarum notæ ut quam nitidissime effingerentur magnam adhibuit operam. Postea etiam lauto stipendio ornatum in Orientem, ut Rabbinicos inde codices Galliam transportaret ablegavit. Vid. *Gundl.* lib. c. pag. 485. & Bayle Dicit. Histor. & Critique 1^o art. Francois I. Not. (c.) p. 506. Pontifices PIUS IV. & SIXTUS V. Typographæ Vaticanæ 400000, aureos impenderant. *Gundl.* l. c. ad calcem p.

betur quod post elapsum dimidium fere sæculum, ex quo plenam, hæc ars adsecuta est maturitatem, vix ulla amplius in Europa fuerit regio, aut celebrior quædam urbs, in qua instituta non eslet officina excusoria (a). Nec vernaculis solum apud Europæos litterarum notis, im-

482. LAURENTIUS MEDICES, Lascarin Constantinopolin misit ut codices Græcos Msc. per totam Græciam conquereret. Gundl. p. 2018, Confr. not. (u. 18.) ad calcem p. 2020, ut plura hujus rei documenta raseamus. Vid. sis Gundl. l. c. p. 473. 474.

(a) Copiose hoc ostendit LESSERUS in Typograph. Jubil. pag. 48. seqq. hic novimus hanc artem a. 1460. a CONRADO SCHVEINHEIM, vel ut nonnullis videtur ULRICO HAHN vel ARNOLDO PANNARTZ Romam fuisse delatam; a SIXTO autem RUSSINGER Argentinate Neapolim advectam, & a NIC. JANSSON Gallo in Galliam fuisse asportatam. Vid. MARIA ANGELUS ACCURSIUS adductus a Pashio in Inventis Novantiquis p. 787. 788, quo cum confr. Gundl. Libr. cit. pag. 474, 475. in notis. In Angliam eam invexit GUIL. CAXTON, qui opera FRIDERICI DE CORSELLES usus, primam officinam Londini (non Oxonii ut putavit Marchand. p. 30. & cum eo plures) instituit a. 1471. vid. Act. Erud. pro a. 1744. p. 288. In Polonia Cracoviæ sub finem Sec. XV. libros impressit JO. HALLERUS Act. Erud. pro a. 1745. p. 46. In patria nostra Holmiæ officinam instituit JO. SNELL a. 1483. Antiquissimus liber hic impressus inscribitur *Dyalogus Creaturarum Moralizatus*. Hunc ad a. 1495. secutus est JO. FABRI. Upsaliæ ad a. 1510. Psalterium excudit PAUL. GRIMS. Vid. Historiol. Artis Typogr. in Suecia, quam Præsid. Fab. Torner Upsal. a. 1722. edidit Jo. Almander, ubi multa ad Antiquitates Typographicas Patriæ spectantia, collecta habentur. In Russia quoque hoc ævo institutam fuisse Typographiam, ex viso in Bibliotheca Academiæ Scient. Petropol. Antiquo quodam Rituall conjectat V. HEAVEN in *Nye och forbæreeae Esterrettninger om det Russiske Rige*. Part. I. Cap. VI. p. 101. Confr. tamen JO. CHR. SEIZIUM in tertio inventæ Typogr. Jubilæo. pag. 204. Vid.

impressi fuere libri; verum & *Græca* (a), *Ebræa* (b), *Arabica* (c), *Æthiopica* (d), proprio charactere excudi cœpta sunt. Si denique quæ ad artem hanc vel commodius exercendam, vel ad nitorem atque elegantiam typis conciliandam, & lectionem librorum faciliorem reddendam faciunt, intueamur, nec in illis multa, quæ poste.

Aet. Erud. pro anno 1743. pag. 96. Plura in hanc rem adserre non vacat.

(a) *Lascaris Grammatica Græco* charactere totus excusus est jam a:o 1476. & hunc librorum Græcorum antiquissimum judicat *Maittaire* in Annal. Typograph. v. Aet. Erud. pro anno 1719. pag. 479. (b) Prodierunt Biblia Ebræa prima vice Soncini per Abr. ben Chraüm a:o 1488. in fol. Editio rarissima in Bibliotheca Civica Vindobon. adservata, *Maittaire* & *Le Longio* ignota. Vid. Aet. Erud. pro a:o 1753. p. 509. Meminit quidem *Lesserus* I. c. p. 76. seq. Bibliorum Ebræorum, *Brixia* per *Gersonem ben Mose* a. 1470. impressorum; eaque Editione usum fuisse Lutherum in versione Germanica librorum V. T. adornanda; quam in Bibliotheca Regia Berolinensi adhuc ostendi simul adseriat: Verum deceptum illum fuisse exinde conficitur quod *Johann. Carolus Oelreichs* in *Entwurf einer Geschichte der Königl. Bibliothek zu Berlin*, copiose de hac Editione differens anno 1494. illam prodisse ostendat. Vid. Nouv. Bibl. Germ. T. XI. P. I. pag. 32. seqq. ubi citatus liber recensetur. Patet hinc quid statuendum sit de adsertione Dn. *Maittaire* I. c. *Ebræa* a. 1491. primum impressa fuisse. (c) Alcoranum Arabico charactere expressum Venetiis a. 1530. exhibuit *Paganinus Brixensis*; cujus tamen editionis exemplaria ex auctoritate Pontificis Romani, omnia sunt deleta. Vid. Biblioth. curieuse Hist. & Crit. ou *Catal. missiones des livres rares &c.* par. *David Clement*, T. I. recensit. in Nouv. Bibl. Germ. Tom. VIII. p. 354. seqq. (d) Primus liber hac lingua impressus, lucem vidit Romæ a. 1513. continens Psalterium & Canticum Canticorum. Prostet in Bibliothec. Civica Vindobon v. Aet. Erudit. I. proxime citato.

posterioris ævi sagacitati vel industriæ, accepta referenda essent, animadvertisimus. *Matrices typorum* hosque fundendi modum, ut & *atramentum impressorum* a laudatis antea primis inventoribus exegitata fuisse certum est (a). Litterarum notæ *majuscule* vel *initiales*, quemadmodum & illæ quas *Cursivas* vocant seu *Aldinas*, ab *Aldo Manutio* primo ut fertur earum inventore, ante finem Sæc. XV. jam adhibitas fuisse, satis ostendunt qui ab illo tempore supersunt libri impressi. Characteres quoque litterarum, qui pro numerandis plagulis, ad medium inferioris marginis paginarum subnotari solent, *Signaturas* vocant *Typographi*, in antiquissimis fere, quæ ad nos pervenerunt exemplaribus adjecti comparent. *Custodes* etiam, qui dici sueverunt, & calci paginarum ad indicandam primam sequentis paginæ vocem subjiciuntur, non multo post inventionis epocham adpositos cernere licet. (b). Ut de *ornamentis Xylographicis*, *picturis marginalibus*, variis litterarum coloribus, litteris *aureis* & *argenteis*, quorum omnium ad decoram formam & nitorem libris conciliandum, frequens apud antiquiores fuit usus, jam nihil addamus.

§. V.

Restat, ut quantum ex inventione hujus artis lucratæ fuerint *res litteraria* & *civilis*, paucis indigitemus. Sustulit illa frequentes, quæ prius audiebantur de summa librorum raritate querelas, & ut promptius succederet destinata in hoc ævum *fati litterarii* ac *Ecclesiastici* con-

(a) Vid. præter alios *Lesser*, lib. cit. p. 37. 38. (b) Vid. *Savary Dict. Univ. de Commerce des Arts & des Metiers*, Tom. II, p. p. 863. 864.

conversio, auspicato effecit. Oecationem namque de-
dit conquirendis & in publicam lucem edendis, quid-
quid elegantiora antiquæ Hellados & Latii ingenia, in
communem humani generis usum olim erant enixa.
Excitavit insuper illius temporis hominum industriam,
qui novitate jueunditate & utilitate earum rerum, quæ
pandi sibi quotidie viderant, delectati, etiam ipsi ad
præclarum quoddam opus moliendum adliebantur (a).
Oracula quoque divina, ab ipsis fontibus hausta & in
vernaculam curatius redditia, ut & *Patrum* scripta, hoc
præsidio in vulgus sensim innotescere cœperunt. Ex
quo facile potest intelligi, quantum ad superstitionem
debellandam, moresque emendandos hoc inventum con-
tulerit (b). Principibus præterea & ex privatis opu-
lentioribus flagrantissimum Bibliothecas congerendi ar-
dorem incussit; qui cum in nonnullis accedente adhuc
vanitate & magnificentia ostendendæ studio vehemen-
tius inflammaretur, Eruditis plurimum profuit, & ar-
ma ad barbariem expellendam efficacissima, illis provi-
dit (c). In rem deinde civilem, incredibile est dictu,

D

quan-

(a) Præclare laudatus nobis saepius *Morbof.* Polyhist. Tom. I. Lib. I. Cap. II. §. 16. ubi de cauissis restorationis litterarum differit: *Obstetricias* inquit *adhibebat manus quod labores doctorum, Bibliopolarum Φιλαργοστανας provocabat divinum Typographiae invenium.* Hinc quasi genio quodam impellente, intri paucos annos e veterno excitata sunt doctorum ingenia. (b) Confr. Gundling. lib. cit. pp. 420. & 2011. qui religionis reformationem sine Typographiæ adjumento vix ac ne vix quidem procedere potuisse fidenter pro-
nunciat. (c) Notissimum est quanto studio libris colligendis in-
cubuerint hujus ævi Mæcenates: aliquique ex privatis. Testantur
hoc institutæ circa hoc sæculum Bibliothecæ, *Florentina Medicorum, Vaticana, Parisiensis, Scorialensis, Veneta, Heidelbergensis, Altorfæ*

ta & quam multa ex hac arte redundarint commoda. Hujus beneficio (ut de litterarum in civitate usu jam nihil dicam) leges civibus publicantur; arcana aularum & imperiorum, secretiora exterarum gentium instituta, consilia, foedera, latius quam alias fieri potuisse propalantur: nec typis mandata & per orbem semel dispersa, adeo facile aboleri potest eorum memoria (a). Et huic quidem Typographicæ artis, extendendæ in sæcula pariter ac remotissimos terræ fines famæ, conatui, ultimum addiderunt robur, duo instituta vere magna & hoc loco minime prætereunda: *Postarum unum*, hoc ævo in usum introductum (b); *Recentius alterum*, edendarum *novellarum politicarum hebdomadalium*. (c). His

Vindobonensis, & ex privatis, *Bibliotheca Aldi Manutii junioris*, qui omnem rem familiarem in libros imprudenter consumxit, ceu vel exinde patet quod octoginta millia librorum Academiæ Pisanae legare potuerit. Vid. Morhof. l. cit. Tom. I. Libr. I. Cap. III. §. 5.

(a) Exemplis hoc confirmat Gundling. Lib. cit. pag. 420. in notis. (b) *Postæ* vocabulum in usu jam fuisse a:o 1232. certum est, verum alia, quam apud nos ejus tum fuit significatio. Vid. de Fresne in Glossar. ad Latin. medii ævi, sub voce *Postæ*. Antiquorum *Veredarii* & *Equi cursuales*, aliquid cum Postis jam institutis, habent similitudinis; commoditate vero & usu his minime sunt comparandi. De prima earum origine variant Auctores. Communissima est sententia, LUDOVICO XI. Galliæ Regi hoc inventum adscribendum esse; Vid. Act. Erud. pro a. 1739. pag. 13. Et vix credibile est prius invaluisse postarum usum, saltim ea ratione, qua jam habemus institutum, cum nec in patria nostra ante a. 1636. introductæ legantur. Vid. Kongl. Förordn. om Post-Bäckens de die 20. Febr. dicti anni: quam exhibet Nobiliss. Dn. von STIERNMAN in *Samling af Commerce-Politie och Oeconomie Stadgar*, P. II. p. 46. seqq. (c) Primus harum edendarum consilium

27

His Typographiæ junctis debemus, quod quæ apud u-
nam gentem aut observata aut inventa fuerunt nova,
cæteræque quæ contigerunt mutationes, ab eo usque
tempore, ad alias etiam longius distitas, celeri certo-
que rumore velut in viciniam fuerint propagata. Di-
manavit autem inde is ad litteratos speciatim, fructus,
ut varia variorum de diversis rebus cogitata, cunctis
illorum fierent communia; orbisque eruditus, angusto
antea circa conclusus, fines suos longe lateque dilataret.
Et difficile mihi persuadeo tam longam futuram fuisse lu-
cis litterarum in orbe nostro usuram, nisi confluens undi-
que novarum rerum multitudo, industriam aluisset & ju-
cunda varietate omnes laboris molestias diluisset. Ad rem
deinde publicam feliciter administrandam multum quoque
ex his institutis accessit adjumenti. Cognoscit illorum o-
pe Politicus præsentem ubique rerum statum, in consi-
liis capiendis fundamenti loco ponendum. Ad pacem
porro internam firmandam, & seditiones atque gliscen-
tes in republica turbas in prima quod ajunt herba re-
primendas, postæ in primis conducunt. Quibus omnibus
& innumeris aliis commodis qua majorem partem ad-
huc caruissemus nisi concessum nobis fuisset ingens Ty-
pographiæ beneficium. Verum ut nihil est in humanis
ex omni parte beatum, nullaque res tantæ utilitatis, quin
turpi quandoque pateat abusui, ita &, quod ingenuo
fatendum, de Typographia idem valet. Hominum nam-
que avaritia, & vanitas, præsens spectans lucrum, ex
futilibus & flagitious, quam ex melioris notæ libriss,
certius citiusque venturum, efficit, ut perniciosa mul-
ta,

D 2

cepit THEOPHRASTUS RENAUDOTUS, Lutetiaz Parisiorum
anno 1631. easque exclusis aliis publicandi privilegium accepit
per Cardinalem Richelium. Vid. Acta Erud. pro 1731. p. 31.

ta, bonisque moribus adversa, typis saepius excudantur, ut plura quae in contumeliam hujus artis dici possent taceamus. Sed quemadmodum ab una parte has querelas adeo non spernendas judicamus; ut potius omnium qua fieri potest cura iis obviam eundum esse censemus; ita ab altera, usum abusu minime tolli urgemus, & ob hominum vitia, utilissimam artem damnandam esse negamus.

§. VI.

Devolvimus jam ad considerandas artes alias, huic de qua modo diximus certa ratione cognatas (a), & in enarranda litterarum restauratione minime negligendas: Artes loquor *pictoriām* (b) & *aeris incisoriam* seu *Chalco graphicam*, (*gravure*) quarum illam postliminii quodam jure in usum denuo revocavit; hanc vero prisco aevo plane incognitam invenit & expolivit fervens nostri sæculi industria. Priorem quod adtinet, novimus illam a veteribus licet, Græcis in primis, tantopere celebratam

(a) Conveniunt in eo *Typographia* & *ars pictoria* quæd utraque rerum sistat imagines; illa quatenus auditu, hæc quatenus visu illæ percipiuntur. Et quod respectu artis *scriptoriæ* est *Typographia*, idem respectu *Graphica* est *Chalcographia*; nam quemadmodum illa *scripturæ*; ita hæc *graphicæ* opus multiplicat atque propagat. (b) Sumimus *artem pictoriām* hoc loco toto suo complexu; quo & *Diagraphicam* & *artem pictoriām stricte sic aiſtan* sub se comprehendit: illa, quæcunque oculis aut imaginatione solum percipi possunt juste delineare docet; unde & *pictum linearis* non nullis dicitur: Hæc vero etiam colores addit & propriæ *picturæ* adpellatur. Prior tanto majoris est necessitatis, quo certius sit illam basin & fundamentum tam *picturæ* quam *Chalcographiæ* in se continere.

tam & tam mirifice cultam (a), horrido illo & tenebroso, quod præcesserat, ævo, usque adeo in desuetudinem abiisse, ut vix ullum ab eo tempore ostendi possit monumentum vel mediocri arte, ne dicam paullo exquisitus elaboratum. Tam scilicet rudis erat gustus, & tanta ingeniorum hebetudo, ut quam hæc ars postulat in similitudine rerum dijudicanda aciem frustra apud illos requireres. (b). *Timanthis* in inveniendo ingenium; *Parrhasii* in examinanda linearum proportionem subtilitatem; *Zeuxidis* in colorando nativam amœnitatem; *Aristidis Thebani* in moribus affectibusque pingendis vivam elegantiam; miram denique *Apellis* venustatem, auditas forte ipsis virtutes, inter suavia delirantis antiquitatis somnia referre, quam imitanda sibi proponere maluerunt meticulosi & temerariæ diffidentiæ pleni hujus ætatis homines. Alacriora his fuere quæ nostrum sæculum tulit ingenia; quippe de rebus quæ effici possent turpiter desperari, audenter judicabant, firmiter persuasi primas neminem consequi, nisi qui cum primis certet. Quibus ideo acceptum referendum est, quod justus paullatim penicillo honos redire, &

D 3

pi-

(a) Singulari opera de pictura Veterum egit *Franciscus Junius* Lib. III. quorum ultima eaque optima Editio cura Jo. Georg. Gravii prodidit Roterod. anno 1694 in folio: de qua vid. *Morhof.* Polyhist. Tom. I. Libr. I Cap. X X. §. 72. in nota adjecta, & *Palaebius* in invent. Nov-Antiq. Cap. VII. §. 68. pag. 802. (b) Non immerito ad picturam hujus temporis applicaveris, quod de initiis artis scripsit *Ælianu*s Var. Hist. Libr. X. C. 10. ita autem ille: *Cum ars pingendi ortum duceret, & quodammodo in tate fasciisque versaretur, adeo rudi & impolito hylo depinxerunt animantia, ut adscribere ad ea necesse esset; hoc est bos, illud equus; istud arbor.*

pictores viliori opificum grege exempti artificibus admumerari cœperint. Cum autem tota hæc ars imitatione contineatur & ad proposita præscripta formari debeat, in exemplum intuenda erant opera veterum & qui illis proximi videbantur, quo sic percepta semel imitandi ratione, cætera facilius adsimilare possent novitii artifices. Perspexit hoc ipsum Senatus Florentinus revocandarum elegantiorum artium studiosissimus, adeoque celeberrimos quosque qui in Græcia superstites erant pictores, propositis amplissimis præmiis ac conditionibus, ut ad se venirent, rogavit (a). Favebat his desideriis turbulentus ea tempestate in Oriente rerum status, quo pressi artifices, ut labantem patriam relinquerent & tutiora peterent domicilia, persuaderi sibi facile patiebantur. Horum exemplis accensa in flamمام sensim erupit, ignea huic genti ingeniorum vis; qua cum ad festivissimam hanc artem tractandam vehementius impellerentur, fieri non potuit, quin naturæ impetui obsecundantes, felicissimos etiam in illa facerent progressus. Hinc brevi prodeentes vidit ex officina advenarum Constantinopolitanorum, Florentia, pictores indigenas, qui antiquorum vestigia sollicite prementes, nihil quod posteris inimitabile esset, illos fecisse

(a) Negari quidem non potest Venetos etiam ad pingendū artem in Italia restituendam plurimum contulisse; ceu vel exinde constat, quod Marco Cornaro duce, jam ad a.o 1365. apnd illos floruerit Guarientus Pamvienensis, & ad a. 1370. Nicotetti Semitecoli, pictores haud incelebres; vid. Suppl. ad Nov. A&E. Erud. Tom. III. Sect. I. pag. 25. Verum cum majori studio in id incuhuerint Florentini; maiores etiam in hac arte fecerint progressus; non dubitamus illis in solidum adscribere restauratae illius gloriam. Conf. DiA. De Peinture, sculpture & gravure par Mons. Pernety, l'art. Ecole p. 158.

se ipso opere demonstratum dederunt. Quorum in numero primus fuisse habetur *Cimabua* (a), quem tamen longo post se intervallo reliquerunt, qui illum secuti sunt, *Leonardus Vinci* (b), *Michael Angelus Bonarota* (c), & *Andreas Sartorius* (d), Patres recentioris picturæ merito nominandi. Nec diu intra solam hanc regionem contineri potuit pulcherrimæ artis cognitio; verum latius diffusa, inter alias etiam gentes, complures quibus vivaciora contigerant ingenia, in sui a-morem pertraxit. Qui cum se totos huic addiscendæ traderent, & quod ad perfectionem ipsis deerat, ex imitatione partim, partim institutione horum quos modo laudavimus artificum, supplere laborarent, quicad æmulos se illis præbere possent; celeriter exstitit per omnem

(a) Adprime hoc faciunt quæ habet Pernety in Dict. de peinture &c. l'art. Ecole p. 158. *Le gout pour la peinture, comme pour la plus part. des beaux arts, avoit été long tems enseveli sous leur ruine, suite funeste de l' invasion des Barbares, dans les pays meridionaux de l' Europe. Ce gout se reveilla dans le XIV. Siecle & le Senat de Florence ressuscita la peinture oubliée, en appellant en Italie des peintres de la Grece, dont Cimabue fut le premier Disciple, & eut la gloire d'être le restaurateur de la peinture en Italie vers la fin du XIV. Siecle.* (b) Natus erat hic Florentiæ a. 1455. Vocationis a Rege Francio I. in Galliam ibidem obiit a. 1520. (c) Hic, si unum excepteris *Raphaellem*, palmam recentioris ævi pictoribus tantum non omnibus præripuisse compluribus visus est; & fuere præterea qui eum Græcorum Apellem, si non superasse saltim æquasse putarunt. Vid. *Vossius de Nat. ac Constit. Art.* pag. 31. Natus erat d. 6. Mart. 1474. Mortuus Romæ d. 17 Febr. 1564. Vid. qui vitam ejus breviter descripsit *Freherus in Theat. Clar. Vir. P.* IV. p. 1460. seq. (d) Vocatur alias *Andreas Vannucius Pbyrgionis del Sarto*. Vid. *Ast. Erud.* pro a. 1756, p. 242. Natus a. 1488. & mortuus 1530.

mnem Australiorem Europæ partem egregia optimorum
pictorum multitudo. Inclaruerunt itaque circa hæc
tempora Romæ, Raphaël Sanctius *Urbinus* (a) & Julius
Pipi Romanus; Venetiis *Titianus Vecellius*, *Georgius Tar-*
visanus, *Sebastiaus Venetus*; in Ducatu Mutinensi, *An-*
tonius Aligrius Corregiensis, *Franciscus Parmesanus*; in
Germania *Albertus Durerus* (b), & *Johannes Holbenius*
Basileæ in Helvetia natus; apud Belgas *Martinus de*
Vos & *Johannes Stradan*, in Batavia, *Lucas Lugdunen-*
sis, *Martinus Heemskerckius* & *Otto Vænius*; in Gallia *Jo-*
hannes Cousinus & *Martinus Freminet*; præter innumeros
minoris famæ. Verum enimvero cum natura nulla sit,
quæ non habeat in suo genere res complures, dissimi-
les inter se, quæ tamen consimili laude dignentur; ita
& una quidem ars ratioque picturæ est: at dissimillimi
nihilominus inter se artifices, quorum tamen nemini
quidquam in arte sua deesse videtur. Sequitur scilicet
quisque propriæ naturæ ductum, & formam sui inge-
nii atque animi paratissime reddit. Hinc factum est
ut in consummanda arte diversam diversi artifices jam
hoc ævo ingressi fuerint viam. Alii exquisitissima in
deli-

(a) Natus erat a. 1483. & informatione *Leonardi Vinci* at-
que *Michæli Angelii* usus illam adsecutus est in pingendi arte per-
fectionem, qua inter Principes hujus & posterioris ævi pictores
referri omnino meruit. Laudatur in primis ob exquisitissimam in
delineando adcurationem, quam diuturno in antiquorum statuis
ac sculpturis exercitio formavit & firmavit. Vitam & præstantio-
ra ejus opera exhibet *Pernety* l. c. p. 162. seqq. (b) Ptimus hic
apud Germanos celebris pictor natus est Noribergæ d. 20. Maii
1471. vel secundum 1470. & mortuus d. 6. Apr. a. 1528. vel ut
volunt alii a. 1431. vitam ejus describunt *Freherus* in *Theat. Cl.*
Vir. P. IV. p. 1439. seqq. & *Bayle* in *Dict. Hist. & Crit P. art.*
Durer. cfr. *Vossius* lib. cit p. 31.

delineando adcuratione usi, ad mensuram & proportionem exactissimam cuncta conformarunt; simulque id egerunt, ut pictura linearis mores & affectus mutis imaginibus adfingerent, easque vivas velut & spirantes sisterent, ipsius quandoque naturae elegantiam audaci conatu supergressi: Naturam presso pede secuti alii veras rerum formas quales adparent exprimere sollicite adlaborarunt; adeoque in justa & ad naturalem, quam fieri potuit proxime accedente colorum, lucis & umbræ mixtura, summam artis posuerunt: Alii denique in arguta ingeniosissimarum dispositionum inventione, qua lascivientis præsertim & in magno gaudio fertilitatis, tam varie ludentis naturae luxuriantes delicias adsequi studuerunt, veram ad summum evenitatem artis laudem sitam esse judicarunt. Pro hac dominantis in una quaque gente gustus varietate, in diversas etiam classes, Scholas vulgo vocatas, inde ab hoc tempore dispesci coeperunt pictores; quarum tamen in numero determinando variant, qui usu & experientia, de his rebus judicium ferendi potestatem sibi compararunt. Quidquid sit, præter necessitatem & absque idonea ratione diversas artis formas multiplicasse nobis videntur, qui octo, quod fecit Dn. De Faucourt (a), aut quinque illarum statuerunt. (b). Potius in ipsa picturæ natura ac in-

E

do-

(a) Num fat laudatus Auctor Scholas, Florentinam, Romanam, Venetam, Longobardicam, Germanicam, Belgicam, Batavicam & Gallicam, earumque characteres ingeniosa quidem sed parum solida subtilitate argute distinguit. Vid. Pernety, qui hoc ordine praestantissimos recenset artifices recentiores, Libr. citat. Art. Ecole p. 155--285. (b) Vulgatior olim haec in quinque Scholas Romanam, Venetam, Longobardicam, Belgicam & Gallicam fuit divisione. Vid. Pernety lib. cit. Verum nec illam satis esse adæquatam ex mox dicendis patebit.

doce fundata est sententia, quam proponit *hic tuus ambo
mucosus nixus, et quoniam, neq; exhortari omni acie hinc te
misereor auctoribus suis* (*). Illustriss. Regis Regnique Se-
nator, Celsissimus Comes Dn. CAROLUS GUSTAVUS
TESSIN, qui pro trium illorum quæ ad omnem pictu-
ram requiruntur & ex quibus artis elegantiam metiri
oportet, *delineationis puta, coloris ac dispositionis* (quæ
vocabulis Gallicis *Dessin, Colorite & Ordonnance* ex-
primere solent artifices) ratione, tres etiam constitu-
endas esse docet Scholas principales, *Italicam, Belgicam*
& *Gallicam*; quarum *ista* in primo; *illa* in secundo;
haec denique in tertio eorum quibus picturam absolvi-
diximus, palmam cæteris præripiunt (a). Diversis hac
ratione characteribus distincti artifices, tantum abest
ut promiscua ac male comparata æmulatione, progres-
sibus artis remoram aliquam obiicerent, aut diversissi-
ma confundendo, nitori illius aliquid detraherent; ut
potius læto Principum favore animati, communibus
populi adplausibus excitati, & gliscente jam hoc tem-
pore luxu adjuti, laudabili in suo quisque genere emi-
nendi studio, omnibus numeris perfectam illam darent
& consummatam (b). Hinc non modo deperdita quæ
in

(*) Verba sunt *Callistrati* citata apud *Junium de Pictur. Vet.*
Lib. I. Cap. V. §. 3.

(a) *Vid. En Gammal Mans Bref til en ung Printz, Första
Årgången. Ep. β. XXVI. p. 81. seqq.* Habet tamen quæque harum
Scholarum suas iterum propagines, quas *minus principales*, dixe-
ris; quæ tamen adeo quandoque artis confiniis inter se jungun-
tur, ut oleum simulac operam perderet, qui distinctos illorum
characteres tradere laboraret. (b) *Paucissimæ* sunt regulæ quæ
nullam patiuntur exceptionem; hinc a vero sua Scholæ chara-
ctere haud raro declinarunt artifices, alienam secuti picturæ for-
man. *Vid. Lib. proxime cit. p. 83.*

in antiquorum laciniis deprehenderant pingendi artificia, mirabili successu restituerant, quod in opere præsertim *Musivo* (a) & arte pingendi super muros, cæmento ex calce ac sabulo parato, illitos, *peinture de la Fresque* Galli vocant (b), factum est; verum & novis inventis artem ditarunt. Sic coloris tincturam pro distantiæ ratione crassiorem aut magis exilem reddere, & ad Perspectivæ regulas exigere, primus docuit *Lucas Lugdunensis* (c), & olei in pigmentis præparandis usum detexit *Johannes van Eyckius Brugensis* (d), quo invento mirifice crevit pictura. Statuariam pariter ac sculpturam ad Veterum exempla quamplurimi pictorum hujus ævi excoluerunt, speciminaque in eo genere reliquerunt

E 2

(a) Opus Musivum vel Mosaicum, quod an a Musa vel Amussi ita dictum fuerit non magnopere curamus, describunt *Pernety* Libr. cit. *Traité Pratique* pag. 42. seqq. & *Paschier* in Inv. Nov-Ant. C. VII. S. 69. p. 803. *Cosmus Medices* reperto in monastibus *Petri Sancta* strato marmoreo diversis coloribus eleganter variegato, occasionem dedit pictoribus ingenium in hoc genere exercendi. Mirabile operis musivi exemplum apud antiquos exhibet *Plin. Hist. Nat.* Libr. XXXVI. Cap. 25. (b) Vid. *Pernety* *Trait. Prat.* p. 36. seqq. (c) Cum proprius album esse videatur; nigrum vero remotius; hinc antiqui pictores quæ depressiora, cava, aut longius distata voluerunt nigro illinebant; eminentiora vero & propiora albo colorabant. Quod hi diversorum colorum tinctura; id *Lucas Lugdunensis* unico colore effecit. Hinc *Pernety* pag. 241. *Lucas a coramencé le premier à avoir l' idée de la Perspective*, employé dans la peinture, au moyen de la diminution des teintes de la couleur des objets à mesure qu'ils s' éloignent de la vue. (d) Factum hoc est circa a. 1426. Arcanum hoc a *Van. Eyckio* secum communicatum Venetos docuit *Antonius* quidam Messanensis, a quibus deinde ad cæteros est divulgatum. Vid. *Paschier*. Invent. Nov-Ant. p. 801. & *Pernety* lib. cit. *Tr. Prat.* pp. 86. 87.

runt laude dignissima, antiquorum tamen monumentis temere non adæquanda (a).

§. VII.

Restorationem picturæ e vestigio infœcuta est inventio *Chalcographia* seu artis *Æris incisoriae*, in cuius origines pro instituti ratione paucis nobis jam inquirendum est. Notissimum est prisci ævi homines, cælaturæ in gemmis, lapidibus, metallis ac ebore præstantissimos habuisse artifices, & litterarum etiam notas æri incidere solitos fuisse. Mirari itaque convenit, hanc de qua loquimur artem illos latuisse, cum tamen facillima fuisse videatur hujus ex illa inventio. Verum danda est magnis rebus mora, nec quidquam simul inventum est ac perfectum. Quam igitur illi ignorabant artem, incisas nim. æri figuræ imprimendo in chartam transferre, unicaque lamina, vel centena exemplarium millia, procurare, illam in magnum litterarum emolumentum invenit ac expolivit sagax nostri sæculi industria. Quod quam certum est, tanta e contrario incertitudine laborat quisnam primus illius inventor erit celebrandus. Invida gentium, unius præ alia excellendi cupido iisdem hujus ac reliquarum artium origines tebris circumfudit & obtexit. (b). Quibus ut nos vel

(a) Magnos fingendi pariter ac pingendi artifices se hoc avo præstiterunt Michael Angelus de quo Pernety Lib. cit. p. 159. Mais la sculpture le mettra toujours au nombre de les plus grands maîtres, Daniel Volaterranensis & complures alii. (b) Neque hoc mirum: Non enim cum animis ex cæli penentibus artes ceciderunt; sed exquisite & nata sunt hic in terris omnes, & cum processu temporum paullatim, meditatione conflata; inops vita & multarum indiga-

vel ex parte expediamus, obseruasse juvabit duplicitis generis esse artem incisoriam; *Xylographicam* scilicet, qua ligno; & *Chalcographicam* qua metallis, æri præfer-
tim figuræ incidentur (a). Nam vero, hac antiquior-
rem esse, cum nemo sit, qui dubitare audeat; sequitur,
adserita certæ cuidam genti illius inventione, totam et-
jam litem simul qua maximam sui partem esse com-
positam. (b). Contendunt Scriptores Itali *Hugonem*
Carpi primum de figuris, ligneis tabellis incidentis co-
gitare cœpisse; verum in manifesto illos errore versa-
ri solidissime ostendit præter alios *Gundlingius*; ita ta-
men ut laudatum *Hugonem* in emendanda hac arte haud
proletariam operam collocasse simul concedat. (c).

E 3

Ger-

rerum fortuita conspiciens quedam commode provenire, dum imita-
tur, experitur & tentat, dum labitur reformat, immutat. Ex affida
reprobatione parvas concinnavit Scientiarum artium, & ad unum exi-
tum temporibus pluribus commentatas perduxit: Verba sunt Arnobii
Lib. II. aduersus Gentes. Hinc quamdiu in primis adhuc subsi-
stunt initia, nemo facile adeo est curiosus, ut illarum mentio-
nem dignam judicet, quæ in annales referatur; quamprimum ve-
ro in meliorem formam illas redactas vident, adcurrunt certatim
omnes, aliquam venturæ hinc gloriæ partem decerpere avide cu-
pientes. Adeoque cum plerumque contingat ut ad unam eandem
que artem invenientiam, variis, loco & temporibus discreti varia
ratione aliquid contulerint; oriri necesse est lites vix aut nun-
quam terminandas. Verum hæc obiter.

(a) Differunt *Xylographia* & *Chalcographia* præterea, eo, quod
in illa ea quæ eminentiora sunt, vestigia sui in charta relinquunt;
quod in hac opposita ratione se habet. Hinc & priorem Galli
vocant *Gravure à Epargne*; posteriorem vero *gravure en creux*. (b)
Ars aeris incisoria instar complementum est *Xylographicæ*; adeo-
que pro novo & diverso ab hac invento minime habenda: inven-
tus enim addere facile est; nec illa datur ars, quæ non culta nitescat.
(c) Vid. *Gundling*, Hist. der Gelahrheit Cap. III. §. 73. p. 513.

Germanis potius hanc gloriam vindicandam esse, firmissimo quidem exinde colligitur argumento, quod antiquiora apud illos quam ullam aliam gentem specimina hujus artis occurrant (*a*); incertus tamen adhuc manet primus inventor, nec spes est illum unquam detectum iri. Alii namque *Lupertum Rus.* ad a:o 1450. alii *Martinum Schoen.* alii aliud quendam hoc nomine laudant. (*b*). Si quid in tanta rerum caligine dicendum est, nobis saltem probabile admodum videatur, artes Typographicam & Xygraphicam ab iisdem initiis suas traxisse origines, & quemadmodum sororiorum inter se nexus erant conjunctæ, ita & una sensim excultas fuisse atque expolitas. Ab illo etenim tempore comparuerunt apud Germanos, quotquot in hoc genere celebriores fuerunt artifices *Martinus Stockius*, *Mar-*

seqq. Absurdissimam defendere sententiam *Vasarium*, sole meridiano clarius patet. *Hugensem enim Carpi* fuisse *Raphaelis Urbinate* discipulum certum est & concessum. Erat autem ut supra observavimus *Raphael* natus anno 1483. ante quod tempus jam Germania specimina hujus artis dedit ut mox dicetur. In laudem tamen *Carpis* dicendum, quod primus fuerit qui duabus acribus tabulis ad eandem formam excavatis, umbram, colorem & lucem picturis Xygraphicis addere docuerit, qua de re videatur *Pernery* lib. cit. p. 348.

(*a*) Comparent picturæ lineares Xygraphicæ ad a:o 1476. in libro de Vita Christi, Impress. *Auguste Vinactis*. ad a. 1480. in Bibliis *Augustanis*: ad a. 1483. in Biblia German. edita Norib. per *Anton. Kohberger*; ad annum 1493. in *Harlem. Schedelii Chron. Mundi* edita ibidem; ad cuius etiam finem adnotatur *insertas fu- se civitatum ac Illustrum Pirorum figuræ a Viris Mathematicis pin- gendique arte peritissimis Mich. *Vobligemuth* & *Wilhelmo Pseydenvurff*.*

(*b*) Vid. *Act. Erud.* pro a. 1739. p. 17. & *Lesser. Typograph. Jubil.* p. 209. seqq.

Martinus Schoen, Michael Vohlgemuth, Wilhelmus Pleydenvurff, Albertus Durerus cæteri. Quo autem tempore & a quo, illa suscepta fuerit hujus artis emendatio, qua in locum tabellarum lignearum laminae abeneæ surrogatae sunt, æque latet. Sunt qui Franciscum & Böckolt Montensis Ducatus opilionem primum hoc fecisse putant. (a). Sunt & qui Massoni Finiguerræ aurifici Florentino illam tribuunt laudem. (b). Priori tamen sententiæ calculum addunt plerique; quippe priores in hoc etiam genere artifices protulit Germania: Laudantur ex illis Isratel Mekenich, Martinus Stockius, Gemberlein, Alb. Durerus, Johan. Sebald, Barth. Bökme, Georgius Pens & Egidius Sattler; quorum ope exculta est hæc ars & propagata primum ad Italos, apud quos circa hæc tempora floruerunt, Marcus Antonio Raimundi, Andreas Mantuanus, Franciscus Parmesanus & Augustinus Carraccius; deinde ad Batavos, inter quos præ cæteris inclaruerunt Lucas Lugdunensis ob pingendi artis peritiam supra laudatus & Cornelius Blæmaart. (c). Ex Italia paullo post regnante FRANCISCO I. in Galliam delata est hæc ars, quoad labente tempore in omnes Europæ regiones sensim diffunderetur. (d). Invaluit autem jam hoc ævo, præter eam incidendi rationem quæ cælo aut stilo ferreo peragit, (gravure au burin) etiam illa quæ ope aquæ fortis metallum corrodentis instituitur (gravure a l'eau forte) cuius auctorem Parmesanum

(a) Vid. Paschius in Inv. Nov-Ant. Cap. VII. §. 67. p. 793. Act. Erud. pro a. 1739. p. 17. (b) Vid. Gundt. Lib. cit. p. 516. Confr. Pernety Dict. p. 349. & Savary Dict. Univ. de Commerce &c. T. II. pag. 896. (c) Vid. Gunal. l. c. p. 516. & Pernety l. c. l'Art. Ecole.

(d) Act. Erud. pro a. 1757. p. 134.

fanum fuisse contendit *Vasarius*, plerisque *Dureris* illius inventionem vindicantibus. (a). Accesserunt his incidenti modis postea alii duo, *opus nūm.* quod vocant *mallei* circa anni 1592. & *Melano-Chalcographia Maniere noire* ad a. 1648, (b), ut ad illud fastigium erecta jam videatur hæc ars, ultra quod adsurgere amplius vix potest. (c).

§. VIII.

Ne autem præter rem mentionem harum artium hic inferisse videamur, paucissimis adhuc indigitabimus, qua ratione renascentibus litteris, illæ fuerint obstetricatæ. Pictoram quidem coloratam quod adtinet, ingue fatemur, illam ut pote totam ad ornamenta & oculos delectandos comparatam, in scientiis tradendis non magnopere esse necessariam; quod tamen laudibus artis pictoriæ nihil derogat, cum picturæ linearis & Chalcographiæ tanto major sit necessitas; quippe quæ variis disciplinis oculi instar inserviunt. Illarum ope in His
flo.

(a) Durerum aqua forti usum fuisse in incidentis laminis accessis fatentur omnes. Cum vero ille Parmeiano prior vixerit, quippe qui natus est a. 1504, facile patet errasse, *Vasarium*. (b) Vid. Gundl. I. c. p. 518. & Pernety l. c. l'Art, gravure. Historiam hujus artis succinctam exhibet Dr. Humbert, in Abrégé Historique de l'origine & des progrès de la gravure & des Estampes en bois & en Taille-douce à Berlin 1752. in 8. quem tamen librum ipsi non vidimus. (c) Fatetur hoc Pernety l. c. L'art, inquit, de graver sur le cuivre & sur le bois s'est tellement perfectionné, qu'on ne doit rien attendre de mieux. Quoique avec le seul noir & le blanc, on fasse faire distinguer à l'œil les différentes étoffes de soie, & de laine, les cheveux blonds à avec les noirs, les cheveux blancs à un vieillard à avec les châtaignes à une jeune femme &c.

istoria Naturali vivas habemus animalium & herbarum imagines; in Geographia Mappas Geographicas & Hydrographicas, globos artificiales, cætera. In Geometricis quibusvis disciplinis, Mechanica, Physica, Anatomia, Architec-tura, Tactica, Numismatica, Heraldica, tradendis, quid frequentius accidere solet, quam ut post prolixas sæpe de his rebus sermones, subsidium denique ad eas distinctius exhibendas e pictura petant doctores. Non enim tam sufficiunt ad ingenerandam animo claram ideam, exquisitissima verba vel copiosius cumulata, quam ipsæ rerum formæ fidelibus oculis commissæ & quas ipse contemplandas sibi tradit spectator. Hinc & lætioribus augmentis creuisse observamus scientias modo nominatas, postquam addi cœperunt rerum imagines, Intuitiva quippe quam vocant cognitio & quam cum symbolica sedulo conjungendam esse, monent Philo-sophi, ut omnibus numeris perfecta & absoluta in mente generetur scientia, harum ope nimium quantum est adjuta. Ad memoriam etiam sublevandam, multum ex iis accedit præsidii; ut plura quæ in laudem earum cumulari possent, jam non addam (a). Consulto prætereo, usum quem habent moralem & vim ad animos in virtutis amorem flestendos incomparabilem, a compluribus tantopere celebratam, tantoque adparatu demonstratam; illa enim quanta demum cunque, procuratis variis ab his iisdem artibus vitiorum irritamentis æque magnis, in æquipondium velut reducta, evanescit plane, ut ex hoc quidem capite non multa dignæ videantur commendatione. Idque tanto magis

F

quo

(a) Plura scilicet in hanc rem dabimus infra, quando ad scientiarum restorationem enarrandam ventum fuerit.

quo certius sit illarum quam Typographiæ abusura
multo difficilius præcaveri ; siquidem pictoribus quælibet
audendi semper fuit æqua potestas ; nec ullæ præterea le-
ges satis efficaces esse videantur ad impediendum , quo
minus offendicula morum puritati ab iis parari queant.
(a). Quo tamen ipso justo harum artium pretio nihil o-
mnino detractum volumus ; Laudamus illas , ex iis rebus
quibus laudem merentur ; ex contrariis vituperamus :
& ne usu excidamus , abusum quamdiu tolli non pot-
est ferendum judicamus . (b).

§. IX.

(a) Firmum manet quod dixit Propert. Libr. II. Eleg. 5.
v. 19. seqq.

Quæ manus obscenæ depinxit prima tabellas ;

Et posuit casta euria visa domo ;

Mæ puellarum ingenuos corrupte ocellos &c.

(b) Addere lubet coronidis loco , ad ea quæ hæc tenus di-
ximus verba Illustr. Montesquieu : L'invention de l' Imprimerie ,
qui a mis les livres dans les mains de tout le monde ; celle de la
gravure , qui a rendu les cartes Geographiques si communes ; en-
fin l'établissement des papiers politiques , font assez connoître à
chaque un les intérêts généraux , pour pouvoir plus aisement être éclaircis
sur les faits secrets . Les conspirations dans l' Etat sont devenues
difficiles , parce que depuis l'invention des Postes , tous les secrets
particuliers sont dans le pouvoir au public . Les Princes peuvent agir
avec promptitude , parce qu'ils ont les forces de l'Etat dans leur mains ;
les conspirateurs sont obligés d'agir lentement parce que tous leur man-
que ; mais à présent , que tout s'éclairent avec plus de facilité &
promptitude , pour peu que ceux ci perdent de temps à s'arranger , ils
sont découverts . Vid. Consid. sur les causes de la grandeur des Ro-
mains & de leur decad. Cap. XXI. ad finem.